



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 266. Qualiter hæc legitimatio differat ab ea, quæ fit per subsequens Matrimonium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

mationem, hæc ei concessa nullum habebit effectum, antequam infans liberè consentiat; uti & collata absentis, priusquam is eam ratam habeat.

5. Quartò requiritur, ut in impetratione legitimationis à legitimando fiat mentio eorum, quibus per legitimationem creari potest præjudicium, ac ita aliorum legitimorum, si quos forte habet pater; quia spectatà ordinaria potestate, Princeps non censetur velle concedere legitimationem in præjudicium legitimorum; ita AA. passim teste Castrop. n. 20. juxta *Aub. quib. mod. natur. eff. sui. §. si quis ergo.* Neque ab hac legitimorum mentione facienda legitimandum excusat parentum consensus; cum hic non impediatur legitimorum præjudicium; ut Covar. *cit. c. 8. §. 9. n. 7.* Azor. *cit. c. 14. q. 11.* Castrop. *l. c.* Excusare tamen ab ea consensum ipsorum legitimorum; quia tunc cessaret eorum præjudicium, censet Pont. *l. c. c. 7. n. 3.* quod tamen non carere difficultate, asserit Castrop. eò quòd hæc mentio expostuletur, non tantùm ne legitimis fiat præjudicium, sed etiam, ut intelligat Princeps, non esse necessarium, naturales subrogare legitimis. Censet quoque cum Mol. *cit. d. 173. vers. si legitimatio.* in regnis Hispaniæ necessariò faciendam mentionem avi, ubi defunt filii legitimi; quippe illi, cum succedat patri carenti filiis, fit præjudicium per legitimationem; non tamen in illo defectu legitimorum faciendam esse mentionem cognatorum & consanguineorum succedentium ab intestato; cum eis non fiat præjudicium, dum non succedat patri, nisi pater aliter non disposuerit de bonis suis, uti potest, docet cum Covar. *l. c.* & Tiraq. in *L. si unquam. c. de revocat. donat. v. suscepit. n. 5.* Castrop. *n. 5.* Verùm patre mortuo sine alia dispositione, legitimandum necesse habet facere mentionem hæredum venientium ab intestato, quales sunt cognati & consanguinei, quia Princeps censendus est, non velle iis in jure quæsitò præjudicare, nisi fortè patri in morte expostulanti legitimationem filii annuerit. Mol. *d. 174.* Azor. *cit. c. 14. q. 10.* Pont. *cit. c. 7. n. 4.* Facienda quoque est mentio substituti in hæreditate patris, casu quo is sine liberis legitimis decesserit; cum & ipse jus habeat in hoc eventu succedendi. Castrop. *n. 4.* Covar. *cit. c. 8. §. 9. n. 8.* citatis aliis. Verùm non solum exprimiendi in impetratione legitimitatis, sed & citandi omnes & soli illi, qui jus ad hæreditatem habent, non impediibile & libera voluntate patris. Castrop. *n. 12.* remittens ad Mol. *de primog. l. 3. c. 3. n. 10.* & Covar. *l. c. §. 9. n. 8.* eò quòd licet filii legitimi, cognati, substitutus contradicturni præsumantur, eorum tamen contradicchio deserviat ad examinandum, an adsit causa legitima concedendi legitimationem, ideòque citandi. Si verò iis non citatis, expressis tamen Principi, is absolutè concedat legitimationem, hæc valebit; quia potestatem habet illis præjudicandi in jure, quod habent ad succedendum, utpote quod habent ex dispositione legis ab eo lata; ita Castrop. cum Mol. *tr. 2. de just. d. 174. concl. 2. §. 3.*

6. Quintò requiritur ad valorem legitimationis, ut in supplica legitimationis exprimat qualitas illegitimationis non solum in genere, sed & in specie; cum pro diversa ejus qualitate reddatur facilius vel difficilius illius concessio, & ut Princeps sciat, quam gratiam præstet. Sic exprimendum, an sit naturalis, an spurius; si spurius, an natus ex incestu, & quo, an commissò cum matre, sorore, nuru, uxore fratris. An ex sacrilego concubitu

habito cum Sacerdote, religioso vel utroque simul. Abb. in *c. venerabilem. de elect. n. 27.* Mol. *d. 173. n. 28.* Fachin. *l. c. c. 61.* Pont. *l. c. n. 6.* Covar. *l. c. n. 3.* Castrop. *n. 14.* Item an ab Episcopo, ita ut in hoc casu non sufficiat narratum: à Sacerdote; cum dignitas Episcopalis notabiliter aggravet sacrilegium, uti & natum esse ex Sacerdote, qui simul erat Religiosus; ut Mol. *d. 173. vers. qualitates.* Castrop. *l. c.* Item an ex adulterio, & quidem juxta communioem, quam tenent Mol. *l. c. vers. hinc colligitur.* Pont. *l. c. n. 9. juncto. n. 8.* Covar. Castrop. *LL. cit.* exprimendum, num ex adulterio utrimque tali. De cætero hæc limitanda, ita ut opus non sit ea omnia specificè & distinctim exprimere, ubi Princeps generalem concessionem faceret, dicendo: *ex quocunque coitu natus sit, legitimum te reddo.* Covar. *l. c. n. 4.* Castrop. *n. 15.* Mol. *l. c.*

Quest. 266. Qualiter hæc legitimitatio differat ab ea, quæ fit per subsequens matrimonium.

R Esp. Differt ab ea primò, quòd hæc non nisi naturales, illà verò Principis etiam spurii legitimentur, ut cum communi Azor. *cit. c. 4. §. 14.* Castrop. *l. c. §. 4. n. 2.* quamvis etiam à Principe legitimari consueverint Arg. *novel. 74. c. 1. & novel. 89. c. 9.* Secundò, quòd ea facta per matrimonium sit universalis extendens se ad omnes inhabilitates, etiam jure civili inductas tollendas; hæc, si fiat à Principe sæculari, non extendat se ad inductas jure Pontificio, sed solum ad inductas jure civili, puta ad successiones hæreditarias, majoratus feuda, honores & munera publica sæcularia. Si facta à Principe ecclesiastico ad solas dignitates, officia & munia ecclesiastica, beneficia, ordines sacros. Covar. *l. c. §. 8. n. 15.* Castrop. *l. c.* cum communi; uti hæc distinctius patebunt ex sequentibus.

Quest. 267. A quibus & ad quæ hæc legitimitatio fieri possit.

I. R Esp. Primò in genere, potestas hæc propriè legitimandi competit Principibus tam ecclesiasticis quàm sæcularibus non nisi supremis, hoc est, jurisdictionem supremam exercentibus, & nulli alteri subiectis; hi enim soli jus abrogare, & legibus derogare possunt, efficiendo, ut qui SS. Canonibus aut legibus civilibus ad certos effectus redditus inhabiles ad eosdem reddantur habiles; ita cum communi Bald. in *L. 1. c. de jure annulor. aur. in pr.* dicens esse de reservatis Principibus. Abb. in *c. per venerabilem. h. t. n. 23.* Mol. *cit. d. 173. v. legitimare.* Azor. *cit. c. 14. num. 5.* Pont. *l. c. c. §. n. 1.* Castrop. *l. c. §. 5. n. 1.* Tales itaque sunt in ecclesiasticis solus Papa, in sæcularibus Imperator, Reges alique Principes dicta jurisdictione suprema & independente gaudentes, qui ut Castrop. leges condere & abrogare possunt; adeòque hæc potestatem propriè legitimandi jure proprio & ordinario in suis dominiis propriis exercent. Unde dum inferiores, puta Legati Apostolici in spiritualibus, Comites Palatini in sæcularibus legitimant, non nisi ex privilegio & potestate commissoria sibi à supremis Principibus (quippe qui, cum ea potestas sit jurisdictionis, eisque competat jure ordinario, eam alteri delegare possunt) concessa legitimant. Circa quod notandum, quòd, cum ea potestas non plenè, sed limitatè con-

ferri